

De saporibus montium

Aliquot ante annos David et ego rupem quoddam in montibus Austriae manibus ascendere constituimus. Illud saxum in cacumine illius montis qui 'Dachstein' appellatur est situm; ut ad id adveniremus, primum montem tramine funali ascendimus, postea moles glacialis nobis erat transeunda. Importune accidit ut eo die David doloribus tergi sit afflictus hac de causa ego omnia instrumenta in pera mea tuli quae nobis ad illud saxum ascendendum erant necesse: funem longum, cincturas securitatis, et varia genera hamorum qui ad funem saxoaffigendum usurpantur. Pondere perae meae onerata aegre tardeque molem glacialem transire coepi. Sollicitus David me impulit ut celerius ambularem: timebat enim ut nobis esset satis spatii ad saxum ascendendum antequam ultimum tramen funale rursus in vallem proficiseretur. Ita eram viribus destituta ut ei magna voce male dicere non possem. Postea David me peram magni ponderis celerius ferre non posse se oblitum esse est fassus.

Ascensus saxi satis bene cessit. Cum advenimus in in cacumen advenissemus, celeriter descendimus ne tramen funale ultimum praetermitteremus. Sed pro dolor funis in saxo haesit: dum eam ad me trahere conor, lapis satis magnus divulsus est qui saltans ad me volvit. Statim me illum lapidem evitare non posse intellexi: vultu adverso caput manibus protexi. Deo gratias lapis tantum crus impulit: bracis scissis sanguis ex vulnere levi emicavit. Sed quiescere non licuit: David me ad stationem traminis finalis currere debere clamavit, et quasi diabolus vestigiis instaret glaciem transii.

Exanimati ad stationem traminis finalis advenimus; oculis clausis tranquille respirare conata sum. Subito odorem fortem animadvertei qui in montibus raro invenitur: quis unguentis aspersus in montibus ambulat? Incredula ceteros viatores perscrutata sum et feminam quandam in medio traminis finalis animadvertei vestimentis elegantissimis atque ornamentis pretiosis vestitam. In brachiis canem parvum portabat cuius pedes teneri saxis asperis certe non erant apti. Lente ei appropinquavi quoad canis odorem meum entiens magna voce coepit latrare. Illa femina me incredula fastidioseque aspexit, non sine causa: sudore madida et pulvere cooperta, bracis scisis vestita et sanguine maculatis forsitan ab inferis venisse videbar. Cum in vallem advenissemus et illa femina quam celeriter poterat ex tramine funali curreret, David et ego cachinnum sustulimus: gavisi sumus quod illa femina elegantissima propter me etiam verum odorem montium esset experta.